


BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich


XVII

914



Imhausen;





7



SIMONIS SIMONIDAE

ELEGIA



15.505

ZAMOSCI

Martinus Lenscius Academ. Typogr.
excudebat M. DC. XIII.

SIMONIS SIMONIDAE

FLERIA



15.502

XVII - 914 - II

Zamocci

Martinius I. enclius Academi Typog.
excudebat M. DC. XIII

IACOBO SOBESCIO MARCI
PALATINI LVBLINENSIS. F.

So 05

Reditus est patrijs tandem Sobescius oris,
Vnica magnanimi cura Samosciada.

Non, si illi fratrem germanum fata dedissent,
Tanta avidus reducem letitia exciperet.

Vt nunc unanimi sospes gratatur amico. 5
Nec potis est presso gaudia ferre sinu.

Quin vsque iniectis amplexibus obuius haeret.
Atque ipsam gestit pandere pœnè animam.

Omniaq; effundit cumulati munera amoris.
O rare magnum fœdus amicitiae. 10

Scilicet hanc Muse sanctis aluère sub antris.

Candor & à teneris nutrijt unguiculis.

Et paritas morum iusto prouexit honore.

Et nullo lapsu contemerata fides.

Quin ipsi primo ortu inseuère parentes. 15

Nam quantum fano Marcus amatus erat!

Quamq; fuit Marcus sincerè obnoxius illi,

Pagina non isthac dixerit ore breui.

O genus heroùm, ô nostri duo numina seclî.

Vos tamen heu nimium mors properata tulit. 20

At soboles vestro de germine candida mansit.

Candida, non vestris dissita ab ingenijs.

Inuictasq; simul virtutes amula vestras.

Et simul insignes amula amicitias.

Quantùm sese illis hilarasset vestra senecta? 25

Quanta oculis fluerent gaudia, quãta animo?

Hec vos leta tamen claro usurpatis Olympo.

Non claudit cæcis omnia mors tenebris.

Quin sole in puro, radijsq; perennibus orbem

Hunc imum, vestras aspicitisq; domos. 30

Gaudetisq; istos iuuenes vestigia vestra

Imprimere, Et naui viuere pectoribus.

Mutuaq; inter se consortia neçtere vitæ.

Eas mihi sit Musa grata referre mea.

O senium, ô mea tot spargentes tempora cani. 35

Multa equidem vobis debeo, lucis amans.

Quòd mihi tam pulchros seruastis iugiter annos.

Nec mea dum tellus lumina pressa tegit.

Vt liceat viuo solatia tanta potiri.

Quanta ipsi optarent, qui genuêre, patres. 40

Et spes

Et spes non vanas studio depascere opimo.

Et patria certis se recreare bonis.

Omnia nam cum sint mortalibus edita seclis.

Dispereantque urbes, dispereantque viri.

Nec regum, nec regnorum stent libera fata,

Cunctaque versentur continuo interitu.

Hoc se natura tamen exactissimus ordo

Sarcit, Et hinc rerum germina perpetuat.

Quod qua deciduo tandem sunt sine perempta,

Illis succrescunt mox alia atque alia.

Et se substituunt quasi subducentibus umbris.

Equae nouo gaudent surgere seminio.

Sic noua, sub ramis se subijcit arboris alta

Fraxinus, inque locum matris opaca salit.

Sic pereuntque greges ouium, crescuntque vicissim.

Sic genitricem exest vipera nata suam.

Vnda velut rapidis, sibi que incumbentibus undis

Perpetuo lapsu se in mare precipitat.

Sic genus humanum semper variante propage,

Alterum ab occasu pullulat alterius.

Hoc plerumque tamen vitij intercedit, ut ortus

Inquinet egregios, deterior soboles.

Degeneresque edat fetus immitior aetas,
Semper & in peius labe fluente ruat.
Herodum ut gnati noxae, pestesque notentur, ⁶⁵
Vulgatumque nepos, audiat opprobrium.
Illos felices nimium, nimiumque beatos,
Illos diuini germinis esse reor.
Qui potuere suis innoxia semina natis
Inserere, & nulla linquere sorde domum. ⁷⁰
Nobilibusque incrementis se se euexere.
Qualia vix magnis se sociant opibus.
Namque opibus conuasandis, atque anxie habendis,
Dum noctes, totos inuigilantque dies.
Dum summa in nummis vite ornamenta reponunt ⁷⁵
Hancque vniam natis dant animam, atque animam.
Materiam fastus tumidi, luxusue pudendi,
Et quaecunque pati praua libido solet.
Sanctior interea virtus, & splendor honesti, ⁸⁰
Durior & morum regula deseritur.
Hinc male parta patrum labuntur tempore puncto.
Hinc genus, & generis fama vacillat iners.
O iuuenes, ne tanta animis assuescite damna.
Non vestrum est tali impingere principio.

Vos melior sanguis, vos inclyta facta parentum, 85

Splendida vos pulchri nominis aura leuet.

Hoc cultura animi pridem iuuenilibus annis

Perfecta, hoc Musis praestita sanctè opera

Suadet, & inducit magnis componere mentem

Consilijs, nec se mittere veliuolos, 90

Nec vanas sectari umbras feruoris inepti.

Vadere per durum sed rationis iter.

Hoc spes omnigena, hoc patria iustissima vota,

Afflicta patriæ heu anxia vota nimis,

Iure suo, & propius poscunt urgente periculo. 95

Cernitis, ut nulla nubila parte vacant?

Euolat & totam fluctus sorbere carinam?

Nec remi, nec iam lintea sufficiunt.

Auxilioq; viros longè labor ultimus omnes

Aduocat, & certo flagitat interitu. 100

Aspicite ut vestris in vultibus omnia figant

Sese ora, & densi se agglomerant oculi?

Faustisq; ominibus passim comitantur euntes,

Et ceu clara poli sidera suspiciunt.

Vos fore, qui patrum virtutibus equiparetis 105

Nomina, quæis constet publica nixa salus,

Reddere

Reddere qui pacem patria, qui sancta sciatis
Jura tenere hominum, iura tenere Deum.
Nec sinere incurfare bonis, quandò intonat iras
Hostica siue manus, ciuica siue manus. 110
Quare agite, & iam iam sudate ingentibus orsis.
Gloria virtutem querit, & almus honor.
Tuq; Samosciada prior ardua cepta viã
Ingredere, haut fallax alea iacta tibi est.
Iam graue te Mauortis opus, iã te hostica castra 115
Iam te Turca ferox audijt, atque Getes,
Et Scythica ingemuere tuis examina campis.
Teque sagittarum texerat imber atrox.
Nec fuga te eripuit; quamuis numerosior hostis
Ingrueret, quamuis cuncta timenda forent. 120
Quin hostem praterlapsum fuga sustulit amens.
Incipe te patrijs exercere auspicijs.
Et te victorem semper florere labora.
Fortuna audentes gnaua iuuare solet.
In partes veniet Sobescius, amula virtus, 125
Et geminos fratres promouet, & socios.
Castora sic Pollux, sic fortem Thesea texit
Pyrihous, manui sic manus apta subit.

Sic pede fulcitur pes constantissimus a quo,
Omniaq; alterna sufficiuntur ope. ¹³⁰
Audiet hac longè Zolkicui filius; illum
Nunc fouet arguto Musa venusta sinu,
Ambrosiosq; intus rores, & mella reposta,
Et suada indulget flexanimum laticem.
Vnà inconcussi momentum roboris addens, ¹³⁵
Ut gerat exacto congrua corda viro,
Ætatem anteuolans, ipsis maturior annis.
O quanto te olim fata beant comite!
Quantum ille in patrijs lumen spectabitur oris!
Communi impendet commoda quanta bono! ¹⁴⁰
Qualis longinquas ratis ausa accedere terras,
Vastas trans Syrtes, vastaq; trans maria.
Mercibus Assyrijs opulens, aut Perside gaza,
Sistere se gaudet portubus in patrijs,
Regificasq; effundit opes; manus omnis ad illam ¹⁴⁵
Conuolat, illam omnes accipiunt reducem,
Occursuq; procul, leto & clamore salutant,
Et sibi quisque optant munificam affluere.
Dic Samosciada, ne tu clarissima Diuum
Dona, quibus vestrum condecorant genium ¹⁵⁰

B Ignorare

Ignorare velis; fuerunt quæ maxima semper,
Nec maiora usus repperit omnimodus.

Quod tantos numeres cognato sanguine iunctos,
Æqualesque auro compare suscipias.

Non malè discordes studijs, non moribus atros

Quin cultu affabrè conspicuos animo.

Qui tua coniuncto sustentent robore facta,

Incluta qui tecum munia participant,

Sublimemque ferant cælo communibus ausis.

Flumina sic proprio paruula fonte calunt,

Et tenui riuo trepidant viridantibus aruis,

Nec sese claro nobilitant latice,

Hinc atque hinc donec latè auxiliaribus undis


Aucta, procul vasto se equore proijciunt.


Sic rex Eridanus fluuiorum gurgite pleno

Creuit, sic flumen, Vistula magne, tuum.



1669
7





6469

7

